

MARULLO

NENIARUM LIBER (376 vers)

DE ACERBITATE FORTUNAE

v.1 Nos circum medio freto
 2 Cygnus pulsa tenet vix Boreae truci
 3 ereptos ope caelitum,
 4 olim Cygnus avis Romulidis potens,
 5 nunc pubes Nomadum fera
 6 natura referens saevitatem loci ;
 7 et jam quarta videt dies
 8 aut vulsis male radicibus improbam
 9 solantes misere famem
 10 aut, quos clausa tenant aequora, piscibus.
 11 Tu pugnas quereris tamen,
 12 infelix anime, et te sine proelia
 13 gesta tot Caroli tui,
 14 dum speras itiner commodius freto :
 15 qui, si non mihi nuntii
 16 vani, jam Tiberim et moenia Romuli
 17 Etruscis domitis tenet
 18 Campanisque ferox imminet hostibus.
 19 Quamquam haec haud nova, denique
 20 nunc sors flenda mihi : nam paries velut
 21 aevo exesus et imbribus
 22 inclinatus abit quo semel incipit
 23 praeceps, sic miseri altera
 24 in fata ex aliis mittimur (heu dolorem
 25 indignum !) neque jam quies
 26 aut spes effugii urgentibus est deis.
 27 Nam quae non gravior mihi
 28 lux effulsit et hesterna inimicio,
 29 ex quo primum utero editus
 30 materno jubar hoc hausi oculis puer ?
 31 Mitto nunc patriae graves
 32 occasus miser infandaque funera,
 33 mitto tot solo ab ultimo
 34 urbes, tot populos excidio datos :
 35 quae gravissima scilicet,
 36 haud privata queror, non equidem inscius
 37 quam foedi ingenii sua
 38 solari mala communiter asperis
 39 (sed quis est ita perditus,
 40 unus qui patriae et civibus optimis
 41 dedignetur idem pati
 42 communemque deum non ferat aequiter ?).
 43 Nos Fortuna nocens rogo
 44 ereptos patriae et fletibus ultimis,
 45 humanis grave vivere

46 exemplum dedit, heu, rebus, ubi improba
 47 noctes luderet et dies,
 48 incertum volucri nixa pedem rotae ;
 49 et nec flectere eam domus
 50 infandus cinis et funera adhuc queunt,
 51 nec tot exilia aspera
 52 et regum atque ducum saeva odia ac minae
 53 servatam egregie ob fidem :
 54 quin ipsas quoque jam affligere contumax
 55 ecce amicitias parat
 56 et Lauri immeritam clade nova mei
 57 funestavit atrox domum,
 58 erepto gemini pignoris altero.
 59 Infelix Averardule,
 60 non jam deliciae, sed miseri patris
 61 aeternae lacrimae et dolor,
 62 quae te, care puer, vis rapit effera
 63 nil miserta parentium
 64 (hujus praecipui, tot proceres tuos
 65 inter, dia fluentia,
 66 illius genitae sanguine regio),
 67 nil domus, miseris modis
 68 quae tota attonita atque igne Jovis velut
 69 tacta maeget inutilis
 70 (aeque praesidium quondam inopi aut reo,
 71 aeque dulce decus deum
 72 laetis sorte bona, seu genus hospites
 73 sive illi patriae domo
 74 partes et generis pignora civici) !
 75 At pater miser, ah miser,
 76 ponendis superum divitias suas
 77 tot templis pius erogat
 78 nequicquam et veterum certat opes patrum
 79 largis vincere sumptibus
 80 nequicquam. Quis enim praeterea neget
 81 humana omnia casibus
 82 incertis fluere atque impete herae levis,
 83 quae mortalia provehi
 84 jam pridem invidia, saeva, vetat deum ?
 85 Nam quot spes ea publicas
 86 tecum, quas rapuit magnanimae indolis
 87 scintillas, patruo ac patre
 88 dignas ! Ut miserae non pueriliter
 89 perpessus spatium luis,
 90 vix ingressus adhuc ver breve septimum !
 91 Ut matris lacrimas piae
 92 solatus, tenera saepe etiam manu
 93 trivisti irriguas genas !
 94 Ut solem hunc miseris gentibus et diem
 95 tam carum, puer, haud semel
 96 sprevisti, utpote cui major erat vigor
 97 jam tum, mens erat altior
 98 humana ! Neque enim conditionibus
 99 nobiscum huc paribus, puer,
 100 missus de patria caelite veneras
 101 (hac ut mole videlicet
 102 clausus corporeo et carcere terreo,
 103 errorum male penderes

104 poenas primigeni nil meritus patris),
 105 sed terris breve inertibus
 106 ostensus, liquidi rursus in aetheris
 107 sancta templa recederes,
 108 consors ambrosiae et nectaris aurei.
 109 Illinc spes hominum leves
 110 et caecos animi despicis impetus
 111 (incertum miserans magis
 112 irridensne, puer, factaque dictaque
 113 tot nostra) et superum vides
 114 quam nil munere adhuc est homini datum,
 115 nec longa miserum magis
 116 vita nec celeri morte beatius.

NENIA

N_2 v.1 Haec certe patriae dulcia littora
 2 contra saxa jacent, haec pelage impete
 3 huc propulsa gravi Bosphorici freti
 4 plangunt Hesperium latus.
 5 Ipsae nonne vides mitius aurulae
 6 ut spirant memores unde videlicet
 7 tantum innata potest rebus in omnibus
 8 natura et patrium solum ?
 9 Quid, tantis spatiis monstriferi aequoris,
 10 tanto tempore post lassulae, adhuc tamen
 11 halant nescio quid, quod patrium et novis
 12 mulcet aera odoribus ?
 13 Felices nimium, vespero quae domo
 14 egressae redeunt mane Aquilonibus
 15 versis, nec peregre perpetuo exigunt
 16 aetatem exilio gravem ;
 17 felices sed enim multo etiam magis,
 18 si tantum patriae fluminibus suae
 19 et primi solita litoris algula
 20 contentae lateant domi,
 21 nec longinqua velint flumina visere
 22 et terrae varios et pelagi sinus,
 23 quae multum referant deinde rogantibus
 24 vergentem usque sororibus
 25 ad noctem (quis enim suavia nesciat
 26 auditu et vacuis apposita auribus,
 27 quae diversa locis alter et hic refert
 28 mille exhausta laboribus ?).
 29 Inter quae memorant mutua dum invicem
 30 quaeruntque, admonitae forsitan et mei,
 31 narrant nunc Boreae sedibus intimis
 32 visum, qua vagus alluit
 33 Rhodos Mesta suos, nunc Byce lintea
 34 dantem plena, modo littora Dacica
 35 scrutantem et veterum saepe etiam patrum
 36 curae impervia plurima,
 37 interdum Galatas sive Britannias
 38 seu quae lata serunt aequora Teutones,
 39 interdum Buduae moenia nobilis
 40 et nondum domitam Bragam :

41 sed nec ruricolam messe recondita
 42 tam laetum aut patrio denique navitam
 43 portu nec teneram flavi ita conjugis
 44 gaudentem gremio nurum,
 45 quantum haec terra meis grata laboribus,
 46 extremos cupiam condere ubi dies,
 47 jam nec militiae nec satis amplius
 48 viae erroribus utilis ;
 49 quamvis nescio quae caelicolum impia
 50 arcent fata procul : nam totiens quia
 51 victores cadimus rursus et invicem
 52 parta linquere cogimur ?
 53 Cernis qui populos vexat agens furor,
 54 quae nomen rabies publica Belgicum
 55 contra tot superos suppliciter piis
 56 orantum precibus modo.
 57 Non haec, non temere insania gentibus :
 58 nimirum populos magnae agitant minae
 59 caelestum et Stygiam Tisiphone ferox
 60 saevit concutiens facem,
 61 ex quo terra potens ubere agri, potens
 62 armorum atque virum, pars merito optima
 63 terrarum, studio partis et improba
 64 inter se invidia ducum,
 65 imploravit opes primitus exterias,
 66 nec Normanna modo nec juga Betica
 67 et fastus domini ferre Suevici
 68 turpe credidit Italae.
 69 Eheu, quae video bella resurgere !
 70 Quanto sanguine, quis funeribus lues
 71 infelix geminae perfidiae nefas,
 72 jam non Parthenope amplius,
 73 olim quae totiens maluit emori
 74 quam servare minus fortiter ac decet
 75 urbem tot meritis egregiam patrum,
 76 inconcussam animo fidem !
 77 Est in gente nocens culpa (quis hoc neget ?),
 78 sunt exempla feris commoda beluis,
 79 sed non propterea regi ita protinus
 80 succensendum erat optimo.
 81 Verum nos soliti monstra pati diu,
 82 culpamus facilem principis in suos
 83 naturam et vitio vertimus improbe
 84 quae miranda opibus magis
 85 in tantis : neque enim est sanguine cetea
 86 humano et volucres pascere regium
 87 nec punire statim pleraque pulchrius,
 88 quam ferendo retundere.

DE MORTE IOANNIS MEDICIS

N_3 v.1 At nos senectae praesidium gravis
 2 (proh sortem iniquam !) et Pieridum chori,
 3 condigna sperabamus in te
 4 praemia tot studiis reposta :
 5 nam quis te adempto jam locus artibus ?

6 Quae spes amico est ? Occidis, occidis,
7 hortator exemplumque laudum,
8 ante diem mihi, Jane, raptus.
9 Quamvis ruinis obstrepo publicis
10 privata lugens, qualiter Insuber
11 cultor paterni damna agelli,
12 tecta Pado rapiente et urbes :
13 nam nec cadentis Graecia Achillei
14 sic fracta letho est nec cito tam suum
15 desideravit Julianum
16 Roma, fero minitante Partho,
17 qualis minaces pertulit impetus
18 orbata tanto praeside Tuscia,
19 confessa nunc demum quid esses,
20 invidiam superante laude.
21 Nam quis juventam ploret amabilem
22 condigne et ipso tempore egentibus,
23 in nulla non momenta opesque,
24 divitias studiumque promptum ?
25 Nunc illa duri mens subit exsili
26 invicta damnis, nunc redditus pii
27 iraeque condonatae amori
28 et patriae meritis benignae,
29 nunc cura patri provida publici
30 furorque plebis saepe domestica
31 lenitus impensa famesque,
32 Alpe vias dare vi coacta.
33 Ergo senatus delicias suas,
34 spem vulgus, artes praesidia uniter
35 amissa plorantes in uno,
36 perpetuant sine fine questus,
37 multique, laudes dum memorant tuas,
38 "At nos deorum scilicet", inquiunt
39 "curae futuri, quisquis ista
40 imperio moderatur unus ! "
41 Simulque obortis fletibus arduos
42 tulere vultus ad fera sidera,
43 Caelumque Fortunamque questi
44 et pretium meritis negatum.
45 Nam quid relict i te sine lacrimas
46 fratriis, quid orbam praesidio domum
47 dicam, nec aspectus heriles
48 adveniens subituram in aevum ?
49 Felix, decennis Petre, puertiae,
50 tot damna nondum qui tua concipis,
51 nec quid sit amissum per annos
52 scire potes patruo cadente,
53 implumis olim qualis acreedula
54 ignara matris, quam calamo ferox
55 auceps prehensam febrenti
56 forte dapem dedit esse nato.
57 Nos terque et ultra, nos miseri ingeni
58 sensusque, quis (heu !) vivere nec licet,
59 amice, jam tecum nec ultra
60 esse libet sine te relictis,
61 sed, longa vitae tempora inutilis
62 querendo, noctes carpimur et dies,
63 post ista securi deorum

64 invidiae Nemesisque acerbae.

AD CAROLUM REGEM FRANCORUM

N_4

v.1 Dum tu fugaces, rex, catulis feras
 2 sectaris altum per nemus et diem ex
 3 die trahendo cara perdis
 4 tempora non redeuntis anni,
 5 eheu, rebelles quam vereor minas
 6 ne fractus hostis cornuaque interim
 7 resumat in foedam ruentis
 8 imperii populique cladem.
 9 Nam nec tuorum injuriae et improba
 10 vis cessat in quoscumque sine hostium
 11 delectu amicorumve, ut ipsi
 12 jam noceant magis hoste amici,
 13 et ille sollers temporis occupat
 14 recte gerendi singula momina,
 15 nec praeterire occasionem
 16 praecipitis sinit acer horae.
 17 Hinc illi amici, praesidia hinc nova
 18 crescunt, nec aut jam Sfortia spiritus
 19 in te rebelles Pontifexque
 20 dissimulant odiumve celant
 21 aut ipse Hiberus : nam Venetos tibi
 22 jam pridem acerbos tutemet efficis,
 23 persuasus infidis tuorum
 24 consiliis male venditisque.
 25 Ergo modo excors et pariter deis
 26 mortalibusque infensus et omnibus
 27 exutus armis, regno, amicis,
 28 in solium redit paternum,
 29 ipsoque jam nunc plura fere tenet
 30 victore victus, quae tamen (heu pudor !)
 31 tenere non confisus olim
 32 integer imperique opumque.
 33 Quod siqua regni, tot tibi principum
 34 ducumque siqua est, siqua tot urbium
 35 vestrarum, honesti splendidique
 36 siqua animo tibi cura demum,
 37 jam te precamur, sume, age, spiritus
 38 dignos et istam, invicte, moram exue :
 39 quid fraudulentam crastinando
 40 das cinerem Boreae movere ?
 41 Nil de repente est cernere maximum :
 42 curandus aeger, dum medicabilis
 43 est plaga, nec totos per artus
 44 mortiferum subiit venenum.
 45 At ipse demens, heu, patriam quoque
 46 fingebam et alti moenia Bosphori
 47 quandoque visurum, fugata
 48 auspice te Scythia superba ;
 49 nunc parta nostro sanguine linquimus
 50 hosti tenenda et, quod pudeat magis,
 51 lucro imputamus, siquis aegre
 52 consuluit fugiendo vitae.

53 I nunc, tuorum, Carle, potentiam
 54 regnorum et armis Belgica robora
 55 mirare, dum Campana caede
 56 luxurient sata Gallicana !
 57 Ut nempe vincas, denique quae tibi
 58 viciisse, amicis, gloria, perditis ?
 59 Ferisne tradendae tot urbes,
 60 exitio populis tributis,
 61 qui te suorum sanguine, qui suo
 62 fecere, si non ipse vetas, herum
 63 non Rhosiarum Caucasique,
 64 Italiae sed enim beatiae ?
 65 Hos destinatus, nunc vacuam sinis
 66 si praedam et armis objicis hostium,
 67 servando cum sis debeasque,
 68 non homines tibi defuisse
 69 deosve, sed (quod dicere abominer !)
 70 scies amicos, jura, fidem, deos,
 71 fas, famam, honestatem, decorum,
 72 denique te tibi destitutum.

AD ANTONIUM BALDRACANUM

N_5 v.1 Baldracane, Aganippidum
 2 custos sancte, quid est tam meritum optime
 3 de teque et patria senem
 4 et, quas saecula amant, perdere turpiter
 5 artes ingenii impigri ?
 6 Cur non flere die, non venientibus
 7 astris desinis aureis,
 8 et Manes lacrimis sollicitas patris ?
 9 Non est, crede mihi, ut putas,
 10 Baldracane, pium de superum queri
 11 decreto neque debitam
 12 naturae atque deo sortem animantibus
 13 cunctis ferre modestius :
 14 an tu, tantus homo, vel sapientiae
 15 doctrinaeque putas tuae
 16 nulla quaerere ope rem reparabilem,
 17 vel non feminei ingenii
 18 absumi misere fletibus improbis ?
 19 Vixit pene dies Pyli
 20 felix, sive genus nobile respicis,
 21 seu casti sociam tori,
 22 seu, quos rara solet sors dare fortibus,
 23 dignos se patre liberos.
 24 Nam quid tot memorem principibus fidem
 25 laudatam atque animi integri
 26 dotes saecla super degenerantia
 27 aetatis male masculae ?
 28 Nunc, conviva velut, quod fuerat super
 29 mortali genio satur
 30 vitae, si revolat patrium ad aethera,
 31 nil hic, non modo quod fleas,
 32 sed cur non potius judice gaudeas
 33 aequo, qualis Olympiae

34 olim victor, ubi, pulvere strenuo
35 decurso spatii sacri,
36 laetus fronde comam pressit amabili.